Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 489
Quelle:
Copyright:

quibusdam Typographis Bibliorum Editionibus adjectos fuisse notum est.

II. *fol.* 68. manu Sec. XIV. sequuntur *Castigationes* et *Variae Lectiones S. Bibliorum*, ordine Librorum Vtriusque Testamenti, ex hebraico et graeco Textu atque antiquioribus Interpretibus collectae. Prooemium incipit: *Litterarum sacrarum latino interprete beato jeronimo in epistola ad Suniam et frètellam fratres de greci correctione psalterii attestante: sicut nouo testamento si quando apud latinos questio oritur uel inter exemplaria varietas est, recurrimus ad fontem greci sermonis* &c. Methodum Autoris habe in principio Geneseos: *Genesis 1. ca. a.* (antiqui Interpr.) *terra autem erat inanis et uacua. et tenebre* (Vulg. erant) *super faciem abyssi et spiritus dei ferebatur. Item a. et diuisit deus* (Vulg. omitt.) *lucem a tenebris. hebreus et antiquiores et grecus habent deus* &c. Ultima Apocalypseos: *Item f. et spiritus et sponsa. grecus. anti* (qui) *habent. Infra et qui uult. Infra contestor enim ego. anti habent. Item. c. plagas scriptas. anti. in libro isto. Infra partem eius de libro uite.*

Iste liber est scriptus qui scripsit sit benedictus. amen.

Autorem nullo vestigio deprehendi, qui certe aevo suo sacras Literas felicius excoluit, quam tot συγχρονοι Allegoriarum Venatores, quibus nulla hebraeae, graecaeque eruditionis adipiscendae cura dicam? an opportunitas fuit.

CLXXIX. VD. 6.

216 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 353. f. currente calamo exaratus per duas columnas continet sequentia: I. Lexicon Biblicum, quod *Mammotrectus*, *Mammetractus*, *Mammotreptus* vulgo audit, quo nomine Autor ipse sub finem *Praeloquii* illud adpellat a *mamma*, si quid divino, *trabenda;* de *Parvulis* enim loquitur. Est vero is *Johannes Marchesinus Regio Lepidi* ortus O. M. quem alii circa 1450. *Waddingus* circa 1300. claruisse volunt, id, quod similius vero videtur, ut dixi in *Memorab. Bibl. Garell.* p. 79. Opus ab editione principe *Moguntina* anni 1470. f. saepenumero usque ad barbariei profligationem typis commissum notius est, quam ut descriptione egeat. Illud observo, expositionem *Psalterii* in *Cod.* nostro suo loco inter Partes V. T. haberi, cum in *edit. suprac.* post N. T. occurrat. Prolegomena item illa Biblica *de Mensibus Hebraeorum*, *de Festivitatibus legalibus*, *de vestibus Sacerdotalibus* &c. quae in *edit.* extremum locum occupant, nostro in *Cod.* statim Bibliis subjecta esse, denique desiderari in eo *Tractatum de Accentibus* et *Declarationem Regulae S. Francisci.*